

tibus duximus appendendum, praesentibus testibus infra scriptis, videlicet strenuis viris Reynhardo de Reynsberg dicto de Kûz, Johanne de Milticz, Hugone de Tubinheim, Alberto de Malticz, Bussone de Malticz, Henrico Rollone ac aliis quam pluribus fide dignis. Datum et completum per manus nostri notarii Johannis de Caldenburn anno domini M^o.CCC^o.XLI^o. in vigilia beati Petri apostoli in castro nostro Nussin.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; an einem von der Urkunde selbst zum Theil losgetrennten Pergamentstreifen hängt das zerbrochene Siegel des Bischofs.

No. 435. 1341. 15. Juli.

B. Withego II. genehmigt mit Zustimmung des Capitels eine Stiftung des Decan Heinrich bei der Domkirche zu Unterstützung der Hausarmen und der Bettler.

In nomine domini amen. Ne ea quae aguntur in tempore simul labantur cum tempore, scripti solent testimonio firmiter perhennari. Hinc est, quod nos Wythego dei gratia ecclesiae Misnensis episcopus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris ad perpetuae rei memoriam cupimus esse notum, quod honorabilis vir dominus Henricus decanus ecclesiae nostrae Mynsensis piae devotionis motus affectu decimam in villa Syfirsdorf dicta, quae sita est prope Radeberg^{a)}, videlicet sex maldaria et unum modium siliginis et tantum avenae, quae debent facere novem maldaria et alterum dimidium modium Dresdensis mensurae apud Czhaslawe et . . fratres suos filios quondam Johannis dicti Kuchchemeistir ad perpetuam pauperum tam inedia oppressorum, quod vulgariter husarmen dicitur, quam ostiatim mendicantium elemosynam pro suorum remedio peccatorum et pro salute animae suae et progenitorum et omnium benefactorum suorum iustae emptionis interveniente titulo, pro certa summa pecuniae, videlicet pro viginti quinque sexagenis grossorum latorum rite ac rationabiliter comparavit. Quam quidem decimam domina Elyzabeth, mater eorundem fratrum, relicta eiusdem Johannis dicti Kuchchenmeister veniens ad nos in Stolpana, cum esset suum dotalitium, nobis voluntate bona et laeto animo ad manus nostras libere et sicut decuit resignavit, asserens se habere restaurum sufficiens, et iuravit de non repetendo. Deinde Czhaslawe praedictus et alter fratrum suorum venientes ad nos in Nussin dictam decimam nobis ad manus nostras consensu unanimi pro se duobus et fratre suo tertio libere et sicut decuit etiam resignarunt. Nos igitur Wythego episcopus ecclesiae Mynsensis praedictus devotioni domini decani praedicti cooperari cupientes, nostrae quoque ac nostrorum simul proavorum intendentes saluti, supradictam decimam ad eiusdem decani instantiam ad Mynnensem nostram ecclesiam, sicut et villam Cyrcuitz^{b)} ad usum et elemosynam pauperum memoratorum perpetuam in dei nomine porreximus, dedimus et appropriavimus et per praesentes porrigimus, damus et appropriamus quiete ac libere in perpetuum possidendum. Praedictam vero elemosynam praefatus decanus per se faciet ministrando temporibus vitae suae, et quemcumque de vicariis perpetuis ad hoc deputaverit, quod eo decedente de dicta decima elemosynam pauperibus fideliter amministret. Et idem intuitu emolimenti sui laboris recipere debet annis singulis pullos,

a) Seifersdorf bei Radeberg. b) Serkowitz, Par. Kaditz. Vgl. No. 422.